

024

022

028

018

Scilicet prooemium in Evagatorium F. F. F.

033

De commendatione terrae sanctae et peregrinationis.

013

EVAGARI incipiam post greges sodalium tuarum. Egredere
et abi post vestigia gregum, et pasce hoedos tuos juxta
tabernacula pastorum. Ita habetur paucis interpositis, canti-
corum 1. Capitulo. Verba optime congruunt ad commendationem
sacrae peregrinationis Jerosolymitanae, quae ad Dei laudem
suscepta noscitur esse actus nobilissimae virtutis, quam sancti
LATRIAM nominant.

073

Porro ad perfectum virtutis actum exiguntur sex conditiones,
quae in verbis propositis continentur. Scilicet propositum boni
operis; Desiderium ordinatum opus inchoandi; Libertas vel
facultas agendi; Aggressus operationis; Modus debitus faciendi;
Consummatio et perfectio actus virtuosi. Haec sex concurrunt
ad virtuosam peregrinationem, et continentur in praemissis
verbis.

123

I.) Enim peregrinus terrae sanctae debet habere, et oportet
ut habeat, propositum peregrinandi, ut dicere possit:
Christo, propter quem concepi tale propositum, incipiam
evagari.

II.) Debet habere ordinatum desiderium peregrinationem
inchoandi, ad quod infert: Post greges sodalium tuarum.

Ende

III.) Habere peregrinum oportet Libertatem et facultatem
peregrinandi, (¶ A) ut sibi dicatur: Egredere.

Anfang

IV.) Debet peregrinus aggredi ipsam peregrinationem, cum
sibi dicitur: et abi.

V.) Habere debet modum debitum exequendi peregrinationem,
ut peregrinetur: post vestigia gregum.

VI.) Perficiat et consummet ipsam peregrinationem, ut diligenter
impleat hoc, quod ei imperatur, cum dicitur: Et pasce
hoedos tuos juxta tabernacula pastorum. Quod autem
virtuosa peregrinatio ab his sex dependeat, patet discur-
rendo per singula.

Quantum igitur ad primum, manifestum est, quod deside-
rium quidem videndi civitatem sanctam Jerusalem et alia loca

